

um mendaciorum fucis, emergere tandem, & tanquam Sol purissimus, jubar ostendere clarissimum, suoque splendore illustrare omnia atque perfundere, pro certo affirmant.

§. 13. *In Statu autem Politico futura quædam prædixisse multis comprobant exemplis. Ac (1.) fœdera quidem inter Reges Principesque inita ad breve tempus.* Nam de Durero quodam commemorant Scriptores, eum, cum aliquando cum familiari suo deambularet, tres vidisse Soles congregientes, qui mox evanescerent rursus: postea verò comperisse, Maximilianum Imperatorem inducias cum Gallo, Julioque Pontifice pepigisse, quas brevi elapsò tempore nova disidia dirupissent. Idem post Parellos ante Triumviratum Augusti, Antonii & Lepidi Romæ visos, paulò post evenisse, Annales istorum temporum docent. (2.) *Bella.* Antequam de regno dimicavere Galba, Otto & Vitellius, tres Soles in aère conspecti sunt. Id quod in Hungaria quoque contigit, ubi post tres Soles ortos paulò ante Ludovici mortem, tres quoque Reges, Ferdinandus, Johannes & Solimannus de imperio contendunt. (3) *Disidia animorumque disensiones.* Cujus rei testimonium præbet Annus à Christo natò 1157. quò discordiam inter Electores orituram de eligendo Rege Romanorum novò Parelus innotuebat. (4.) *Principum pericula, & casus.* Regem enim Poloniae, priusquam Franciscus Gallorum Rex in Hispanorum potestatem perveniret, Sex vidisse Soles, Gemma annotavit. Ut alia siccò, quod ajunt, pede præteream, quæ vel ex antiquitate adducenda, vel ex recentiorum monumentis ad eorum mentem cumulanda facilè essent.

§. 14. Verùm enim verò plura huic Meteoro adscribunt isti, quàm vel Parello adscribi natura voluit, aut Parelus etiam præstare potuit. Non equidem inficior, post exortos Parellos in aère, sæpe eventus intolerabiles, regnorum vastationes, populorum clades, Principum cædes, aliaque mala contigisse: verùm ista omnia Parellos prædixisse, nemò nisi temerè asserere conabitur. Penè dixerim cum Illustri Scaligero, Exere. 79. non ta-

men